

The *Chrysostomus Latinus in Mattheum* Online (CLIMO) Project
(<https://climo-project.wlu.ca>)

Omelia XXVIII. in Mattheum Iohannis Chrysostomi interprete Burgundio
(BAV MS Vat. lat. 383, ff.103va-106va)

Intrantem autem eum in nauigium, secuti sunt discipuli eius, et ecce hiemps magna facta est in mari, ut nauigium subuelaretur a fluctibus, ipse autem dormiebat.

Commented [ND1]: [fol.103va]

Lucas igitur studens ne deciperemur ab ordine temporis, ita dixit. Factum est autem in uno dierum, et ipse ascendit in nauigium, et discipuli eius. Et marcus similiter, hic autem non ita, sed et consequentiam hic obseruat. Neque enim ita omnes omnia scripserunt. Haec autem a me et antea dicta sunt, ut non derelictione dissonantiam aliquis esse estimet. Turbas igitur premisit, discipulos autem secum accepit. Etenim et hoc, illi dicunt. Accepit autem non uane neque inaniter, sed ut faciat inspectores miraculi quod faciendum erat. Quemadmodum enim aliquis optimus puerorum exercitator, ad utraque eos erexit, et ad hoc ut non in periculis stupeant, et ad hoc ut moderata autument in honoribus. Vt enim non magna sapiant, quoniam alios dimittens eos retinuit, permittit fluctuari, et hoc dirigens et exercitans, temptationes ferre uiriliter. Magna enim et priora miracula erant, sed hoc et exercitationem quandam habebat non paruam. Et ueteris cognatum signum erat. Propter hoc solos discipulos ducit secum. Vbi enim miraculorum ostensio erat, et plebem permittit adesse. Vbi autem temptationum, et timorum insurrectio, athletas orbis terrarum quos exercitaturus erat, hos assumit solos. Et matheus quidem ait, quoniam dormiebat dixit. Lucas autem quoniam in ceruicali ait simpliciter, et monstrans humilitatem, et multam hinc erudiens nos philosophiam. Fluctuatione igitur erecta, et mari insaniente, erigunt eum dicentes. Domine salua nos perimus, hic autem eos increpabat antequam mare. Etenim quod dixi, exercitu gratia haec concedebat, et tipus erant assumpturarum eos temptationum. Etenim multotiens et postea permisit eos in difficiliores hiemes negotiorum incidere, et longanimitate sustinuit. Ideoque paulus dixit. Nolo autem uos ignorare fratres, quoniam secundum superhabundantiam grauati sumus, supra uirtutem, ut aporiemur et in ipso uiuere. Et postea rursus, qui ex tam magnis mortibus eruit nos. Monstrans igitur hinc quoniam confidere oportet, etsi magnae surgant procellae, et quoniam omnia utiliter dispensat, primum eos increpat. Etenim hoc id est turbari, utiliter factum est, ut maius appareat hoc miraculum, et memoria eius quod accidit, continua fiat. Cum enim inopinabile aliquid faciendum est, multa antea instruuntur, memoriae effectiua, ut non postquam transit miraculum, in obliuionem incidant. Ita et moyses prius timet serpentem, et timet non simpliciter, sed et cum multa agonia. Et tunc uidet inopinabile illud quod factum est, ita et hii opinantes perire prius, tunc saluati sunt. Vt confitentes periculum, discant miraculi magnitudinem. Ideoque dormit. Si enim uigilante eo hiemps facta esset, uel non timuissent, uel non rogassent, uel neque ipsum posse tale aliquid facere crederent. Propter hoc dormit, dans tempus formidini, et maiorem eis faciens sensum eorum quae fiebant. Non enim similiter aliquis uidet, quae in alienis corporibus fiunt, et quae in seipso. Quia enim omnes uiderant beneficia accepisse, seipsos autem nullo potitos esse, resupini erant, neque claudi, neque aliam aliquam talem egritudinem habentes, oportebat autem per familiarem sensum potiri beneficiis, concedit hanc hiemem, ut per ereptionem, manifestiorem accipiant beneficii sensum. Propter hoc neque presentibus turbis hoc facit, ut non condempnentur modicae fidei, sed eos solos accipiens corrigit, et ante hiemem aquarum, hiemem animae eorum soluit increpans et dicens. Quid timidi estis, parum fideles? Et erudiens simul quoniam hunc timorem, non temptationum operatur

Commented [ND2]: [fol.103vb]

Commented [ND3]: euangeliste add. super lin.

Commented [ND4]: [fol.104ra]

Commented [ND5]: mare add. super lin.

Commented [ND6]: uel commendatiua add. super lin.

Commented [ND7]: uel proprium add. super lin.

Commented [ND8]: uel accusentur add. super lin.

Commented [ND9]: uel emendat add. super lin.

inductio, sed mentis imbecillitas. Si autem dixerit aliquis, quoniam timoris non fuit, neque modicae fidei, **accedentes** erigere ihesum. **Illud** utique dicam, quoniam hoc ipsum maxime signum fuit, non decentem de ipso opinionem habendi. Quoniam enim potest increpare erectus, nouerant quoniam autem et dormiens nondum. Et quid miraris si nunc? Vbi et post multa alia miracula, imperfectus adhuc dispositi erant? Ideoque increpantur multotiens, ut cum dicat, adhuc et uos insipientes estis. Ne igitur mireris, si discipulis imperfectius dispositis, turbae nichil magnum de ipso imaginabantur. Ammirabantur enim dicentes. Qualis est hic homo, quoniam et mare et uenti obediunt ei? Christus autem non increpauit, quoniam hominem eum uocabant, sed sustinuit per signa eos docens, quoniam erronea erat eorum suspitio. Vnde autem hominem eum estimabant? a uisu et a somno, et ex utendo nauigio. Propter hoc in ammirationem ceciderunt dicentes. Qualis est hic? Somnus enim et quod apparebat, hominem demonstrabat. Mare autem et tranquillitas deum ostendebat. Quia enim et moyses faciebat aliquid tale quandoque, et hinc **ostendit** supereminetiam. Et quoniam **hic** quidem ut seruus, **hic** autem ut dominator miracula operatur. Non enim uirgam tendebat sicut ille, neque manus extendebat ad caelum, neque oratione indigebat. Sed sicut decens est dominatorem precipientem seruo, et conditorem creaturae, ita **id** sedauit, et refrenauit uerbo et precepto solum. Et omnis confestim soluta est tempestas, et neque semita remansit turbationis. Hoc enim monstrauit euangelista dicens. Et facta est tranquillitas magna. Et quod de patre ut magnum dictum est, hoc ipse per opera demonstrauit rursus. Quid autem dictum est de ipso? dixit ait, et stetit spiritus tempestatis. Ita et hic, dixit et facta est tranquillitas magna. Ideo maxime et ammirabantur eum turbe. Non utique **ammirantes** si nimirum ita fecisset sicut moyses. Postquam autem exiuit de mari, succedit miraculum aliud terribilius. Demoniaci enim sicut famuli perniciosi, dominatorem uidentes, dixerunt. Quid nobis et tibi ihesu fili dei, uenisti huc ante tempus torquere nos? Quia enim hominem eum dicebant turbae, uenerunt demones deitatem eius diuulgantes, et qui mare procello sum, et rursus tranquillum, non audiebant, audiebant demones haec clamantes, que illud per tranquillitatem clamabat. Deinde ut non uideretur adulationis hoc esse, ab experientia rerum clamant dicentes, uenisti huc ante tempus torquere nos. Ideoque hoc prius confessum est id est inimicitia, ut non suspitiosa eorum supplicatio efficiatur. Etenim flagellabantur inuisibiliter, et mari fluctuabantur magis, puncti et infixi et intolerabilia patientes ex presentia sola. Quia enim nullus **eos** afferre audebat, ipse ad eos uadit christus. Et matheus quidem ait, eos dixisse, uenisti huc ante tempus torquere nos. Alii autem apposuerunt, quoniam et deprecabantur eum, et adiurabant, ut non in abyssum eos immittat. Estimabant enim iam penam eis instare. Et timuerunt, ut iam in penam casuri. Si autem qui circa lucam unum aiunt eum esse, hic autem duos, neque hoc dissonantiam ostendit. Si enim dixissent quoniam unus solus erat, alter autem non erat, uiderentur contraria dicere matheo. Si autem hii quidem de uno, hic autem de duobus disputauit, non aduersitatis est, quod dictum est sed diuersae enarrationis. Etenim michi uidetur difficiliorem horum eligens lucas dixisse. Ideoque magis tragedice annuntiat calamitatem. Puta quoniam uinula et catenas scindens, secundum heremum errabat. Marcus autem quoniam et lapidibus seipsum intercidebat ait, sed et uerba **eorum** sufficientia sunt inreuerentiam, et inuerecundiam demonstrare. Venisti enim huc ante tempus torquere **nos**, ait. Quoniam enim non peccabant, non habebant dicere. Deprecantur autem non ante tempus dare uindictam. Quia enim **assumpsit** **eos** pernitiiosa et iniqua illa operantes, et plasma suum omni peruertentes modo et punientes, et estimabant eum propter superhabundantiam eorum quae effecta erant, non expectare tempus punitionis. Propter hoc rogabant, et deprecabantur, et qui neque uinculis retinebantur ferreis, ueniunt ligati, et qui montes percurrerant, ad campos exierunt. Qui alios prohibebant pertransire, obstruentem illam **eis** statuerunt. Quid autem et in sepulchris amant ambulare? Pernitiosum dogma pluribus

Commented [ND10]: id est *add. super lin.*

Commented [ND11]: [fol.104rb]

Commented [ND12]: christus *add. super lin.*

Commented [ND13]: mare *add. super lin.*

Commented [ND14]: [fol.104va]

Commented [ND15]: demoniacos *add. super lin.*

Commented [ND16]: demonum *add. super lin.*

Commented [ND17]: [fol.104vb]

Commented [ND18]: inuenit christus *add. super lin.*

Commented [ND19]: uel sibi *add. super lin.*

imponere uolentes, puta quoniam animae abeuntium, demones fiunt. Quod numquam fiat, neque usque ad intelligentiam accipere. Quid igitur ait, utique diceres, cum multi aruspicum, pueros accipientes occidunt, ut eis postea cooperantem, hanc animam habeant? et hoc unde est manifestum. Quoniam enim occidunt, multi dicunt, quoniam autem animae occisorum cum ipsis sunt, unde nouisti dic michi. Ipsi ait demoniaci clamant, quoniam anima illius ego sum. Sed et hoc scena quedam, et deceptio diabolica est. Non enim anima defuncti est, quae clamat, sed demon est, qui fingit hec, ut decipiat eos qui audiunt. Si enim in demonis substantiam animam possibile esset intrare, multo magis in corpus suum. Sed aliter non utique habet rationem iniqua passam animam, cooperari iniqua sibi facienti, uel hominem posse, uirtutem incorpoream, in aliam transmutare substantiam. Si enim in corporibus hoc est in machinabile, et non utique aliquis hominis corpus, asini operaretur, multo magis in inuisibili anima, hoc est impossibile. Et non utique aliquis poterit in demonis substantiam eam transferre. Quare uetularum ebriarum, haec sunt uerba, et puerorum ludibria. Neque enim est animam rescissam a corpore, hic iam errare. Iustorum enim animae, in manu dei sunt. Si autem quae iustorum sunt, et quae puerorum sunt, neque enim illae perniciosae sunt. Sed et quae peccatorum sunt, confestim hinc abducuntur, et manifestum est a lazaro et diuite. Sed et alio ait christus, hodie animam tuam expetunt a te. Et non possibile est animam exeuntem a corpore, hic errare, et ualde decenter. Si enim in terra ambulantes, assueta, et cognita, et corpus circuminduti cum extraneam incedamus uiam, alicubi reuerti nescimus, nisi ductorem habuerimus, qualiter anima quae a corpore rescissa est, et a consuetudine omni exiuit, sciet alicubi ambulare, sine aliquo docente, ipsam? Sed et ex multis aliis aliunde perspiciet aliquis, quoniam non est, animam exeuntem hic manere. Etenim stephanus ait, suscipe spiritum meum. Et paulus quia dissolui et esse cum christo, multo magis est melius. Sed et de patriarcha ait scriptura. Et appositus est ad patres suos, nutritus in senectute bona. Quoniam autem neque peccatorum animae conuersari hic possunt, audi diuitem multa pro hoc deprecantem, et non potitum. Quia si possibile esset, ipse utique uenisset, et annuntiasset, quae illi facta sunt. Vnde manifestum est, quoniam post abscissionem quae hinc est, in regionem quandam abducuntur animae, non adhuc domine existentes reuertendi, sed terribilem illum diem expectant. Si autem dixerit aliquis, et cur quod rogauerunt demones fecit christus, in gregem porcorum concedens eis reuerti? Illud utique dicemus, quoniam non ab illis persuasus, hoc fecit, sed multa, hinc dispensans. Vnum quidem, doceri erutos a perniciosis tyrannis illis, magnitudinem iactare eorum qui insidiabantur eis. Aliud, ut discant omnes, quoniam neque aduersus porcos audent, nisi ipse concesserit. Tercium, quoniam difficiliora porcis, illis utique operati essent, nisi et in calamitatibus multa potiti essent dei prouidentia. Quoniam enim nos irrationabilibus magis odio habent, omni ubique homini manifestum est, quare qui porcis non ignoscebant, sed in uno temporis momento, omnes eos precitarunt, multo magis utique hominibus haec operati essent, quos habebant in solitudinibus ducentes, et abducentes, nisi et in ipsa tyrannide multa esset dei procuratio, refrenans et detinens eorum ulteriorem aggressum. Vnde manifestum est, quoniam nullus est, qui non potiatu dei prouidentia. Si autem non omnes similiter, neque secundum unum modum, et hoc prouidentiae maxima spes est. Ad id enim quod unicuique expedit, et prouidentia ostenditur. Cum predictis autem, et aliud ex hoc discimus, quoniam non communiter omnium prouidet solum, sed et singulariter unicuique. Quod et in discipulis ostendit dicens. Vestri autem et pili capitis, numerati sunt. Sed et a demoniacis his, utique aliquis inspiciet hoc manifeste, qui olim utique suffocati essent, nisi multa desuper procuratione potiti essent. Propterea utique concessit abire in gregem porcorum, ut qui regiones habitabant illas, discant eius uirtutem. Vbi enim multum nomen eius est, non ualde ostenditur. Vbi autem nullus eum nouit, sed adhuc insensibiliter dispositi sunt, fulgere faciebat miracula, ut

Commented [ND20]: sit *add. super lin.*

Commented [ND21]: sententiam *add. super lin.*

Commented [ND22]: nos *add. super lin.*

Commented [ND23]: [fol.105ra]

Commented [ND24]: uel peccantium *add. super lin.*

Commented [ND25]: id est *add. super lin.*

Commented [ND26]: uel in illis *add. super lin.*

Commented [ND27]: [fol.105rb]

Commented [ND28]: uel omnibus *add. super lin.*

eos in suae deitatis cognitionem euellat. Quoniam enim insensibiles erant, qui ciuitatem illam habitabant, manifestum est asine rei. Cum deceret enim eos adorare et ammirari uirtutem, hii **emittebant** et rogabant abire a terminis suis. Sed cur occiderunt porcos demones? Vbique homines in mesticiam immittere demones student, et ubique letantur perditione. Hoc nimirum et diabolus in iob fecit, quamuis et illic deus concessit, sed neque illic persuasus a diabolo, sed suum uolens ministrum, apparere clariorem, et demoni omnem inuerecundiae abscindens occasionem, et in suum conuertens caput, quae aduersus iustum facta sunt. Quia et nunc in contrarium si tamen **uellent** hii, hoc gestum esset. Etenim christi uirtus clare diuulgabatur, et pernitias demonum, a qua eruit eos qui ab ipsis detinebantur, manifestius ostendebatur. Et quoniam neque porcos sunt **domini** tangere, non uniuersorum deo concedente. Si autem aliquis et secundum anagogen haec exceperit, quod prohibeat, nichil est. Hystoria enim haec est. Oportet enim scire manifeste, quod qui porcini hominum sunt, facile capi possunt ab actionibus demonum. Et homines quidem existentes qui haec patiuntur, et **superare** multotiens. Si autem porci **per totum** efficiantur, non demoniaci efficiuntur solum, sed et precipitantur. Sed et aliter ut ne aliquis scenam esse estimet, quae effecta sunt, sed credat manifeste, quoniam exierunt demones, a morte porcorum hoc fit manifestum. Intuere autem eius et mansuetudinem post uirtutem. Quia enim talia beneficia adepta abigebant eum, qui regionem illam habitabant, non restitit, sed recessit, et eos qui indignos seipsos enuntiarunt eius doctrina, dereliquit liberatos a demonibus, dans doctores, porcorum pastores, ut ab illis discant, omnia quae facta sunt. Et ipse recedens, timorem dimittit in eis uegetantem. Etenim dampni magnitudo, super **addebat** eius quod factum erat famam, et tangebatur ignorantiam illorum, id quod contigerat, et a multis ferebantur uoces, diuulgantes huius mortis in opinabilitatem, ab his qui curati fuerunt, a summensis, a dominis porcorum, a pascentibus eos hominibus.

Hec et nunc effecta uidebit aliquis, et multos in monumentis demoniacos effectos. Quos nichil detinet ab insania, non ferrum, non catena, non hominum multitudo, non ammonitio, non suasio, non timor, non minae, non aliud aliquid talium. Etenim cum aliquis incontinens fuerit, ad omnia corpora **formidans**, in nullo differt a demoniaco, sed nudus **sicut** ille, circumfertur. Vestimenta quidem indutus, uero autem circumamictu priuatus, et eum decente gloria denudatus, non lapidibus seipsum incidens, sed peccatis difficilioribus multis lapidibus. Quis igitur hunc talem ligare poterit, quis sedabit indeformia facientem, et oestrum habentem, et numquam in seipso existentem, sed semper circa monumenta ambulantem. Talia enim fornicatorum sunt diuersoria, multo foetore plena, multa putredine. Quid autem? amator argenti nonne est talis? Quis enim eum poterit ligare umquam? non timores, non minae cotidianae, et ammonitiones, et consilia. Sed omnia haec incidit ligamina. Etsi uenerit aliquis eruere, adiurat ut non eruatur, tortionem existimans esse maximam, non esse in tortione. Quo quid fiet umquam miserabilius? Ille enim demon, etsi homines contempsit, sed iussioni cessit christi, et uelociter abscessit a corpore, hic autem neque iussioni cedit. Ecce nimirum per unumquemque diem audit eum dicentem, non potestis deo seruire et in mammona, et gehennam minantem, et intolerabiles penas, et non persuadetur, non quoniam fortior est christo, sed quoniam nolentes nos, christus non sobrios facit. Propter hoc ut in heremis, hii tales conuersantur, etsi in mediis ciuitatibus fuerint. Quis enim utique eliget mentem habens, cum talibus consistere hominibus? magis ego nempe cum decemmilibus demoniacis cuperem habitare, quam cum uno hac egritudine egrotante. Et quoniam non fallor haec dicens, manifestum ex his quae alterutri patiuntur. Hii enim eum qui nichil iniquum eis egit, inimicum estimant, et uolunt seruum accipere liberum existentem, et decemmilibus circumamiciunt malis. Alii autem qui sunt demoniaci, nichil tale operantur, sed in

Commented [ND29]: christum *add. super lin.*

Commented [ND30]: [fol.105va]

Commented [ND31]: potentes *add. super lin.*

Commented [ND32]: possunt *add. super lin.*

Commented [ND33]: uel ex toto *add. super lin.*

Commented [ND34]: augebat *add. super lin.*

Commented [ND35]: Morale xxviii. aduersus diligentes argentum. *notum in marg.*

Commented [ND36]: uel reptans *add. super lin.*

Commented [ND37]: [fol.105vb]

seipsis egritudinem uertunt. Hii autem multas domos euertunt, et nomen dei blasphemari instruunt, et **f**actura ciuitatis, et uniuersi orbis terrarum sunt. Qui autem a demonibus molestantur, misericordiam consequi magis sunt digni, et lacrimarum pro eis effusione. Et hii quidem insensibilitate plura agunt, hii autem cum mente furiunt in mediis ciuitatibus bachantes, et nouam quandam insaniunt insaniam. Quid enim tale operantur demoniaci uniuersi, quale iudas ausus est ultimam iniquitatem ostendens? sed et omnes qui illum zelantur, sicut fere difficiles a plagis fugientes, ciuitates tumultuantur, nullo detinente. Circumiacent enim et his uincula undique puta, iudicum timor, legum minae, a multis diffidentia, et alia ampliora his. Sed tamen et haec rescident, omnia superius et inferius faciunt. Etsi quis ea finaliter ei auferret, tunc utique cognosceret manifeste demonem qui est in eis, multum eo qui nunc exiit, in mitiorem existentem et insaniorem. Sed quia hoc non est possibile, sermone interim ipso proponamus, et omnes ei auferamus catenas, et tunc eius manifeste sciemus claram insaniam. Sed ne timeatis feram cum eam reuelauerimus. In sermone enim est scena, non in ueritate est res. Sit igitur quidam homo, ignem ab oculis emittens, niger ex alterutris humeris, dracones pro manibus habens dependentes. Sit autem ei et os pro dentibus quidem gladios accutos habens infixos. Pro lingua autem ueneni et pestiferi farmaci fontem emanantem. Venter autem camino omni consumptibilior, quae immituntur consumens uniuersa et pedes subalati quidem et flamma uniuersa uehementiores. Sed et facies ipsa a cane et lupo constructa sit, et loquatur nichil humanum, sed sumptum habeat, non delectabilem et terribilem, habeat autem et in manibus flammam. Fortassis terribilia uobis uidentur esse, quae dicta sunt, sed nondum secundum id quod dignum est, eum formauimus. Cum his enim et alia oportet apponere. Etenim eos qui obuiant occidat, deuoret, carnes ipsas tangat. Sed et isto multo difficilior est amator **a**rgenti omnibus superueniens uelut infernus omnes transglutians, commune prelium genus hominum circumueniens. Etenim uult nullum hominem esse, ut omnia detineat, et neque hic stat, sed cum omnes perire fecerit concupiscentia, et terrae substantiam destruere concupiscit, et aurum ipsam existentem uidere. Non terram autem solum, sed et montes, et colles, et fontes, et omnia simpliciter quae apparent. Et ut discatis quoniam nondum insaniam representaui illius, nullus sit qui incuset, et timeat, sed destrue timorem qui est ex legibus sermone interim. Et uidebis eum gladium rapientem, et aduersus omnes utentem, et nulli ignoscentem, non amico, non cognato, non fratri, non ei qui genuit. Magis autem neque **c**onditionis hic est necessitas, sed interrogemus eum, si non tales plasmat secundum seipsum semper imaginationes, et ad omnes accedit interficiens cogitatione, et amicos, et cognatos, et ipsos qui genuerunt. Magis autem neque interrogationis est necessitas. Etenim omnes sciunt, quicumque hac detinentur egritudine, et senectute grauantur patris. Et quod dulce, et omnibus est concupiscibile, pueros habere, graue et triste esse existimant. Multi denique et sterilitatem propter hoc emerunt, et naturam orbauerunt, non interficientes natos pueros, sed neque germinari in initio concedentes. Ne igitur miremini si amatorem argenti ita formidamus. Etenim multo deterius est his quae dicta sunt, sed intendamus qualiter, a demonio eum eruemus. Qualiter igitur eruemus? **s**i non discas manifeste quoniam auaritia ad hoc ipsum maxime ei aduersatur, **a**d congregandum pecunias. Qui enim parua lucrari uolunt, magna sustinent dampna. Vnde utique et prouerbum in idipsum delatum est. Multi nempe multotiens in magnas mutuo dare uolentes usuras, expectatione lucri, non inuestigantes eos qui accipiunt, cum usura, et a sorte uniuersa ceciderunt. Rursus in pericula incidentes alii, et nolentes pauca expendere **e**t animam cum substantia perire fecerunt, de quibus pecuniis rursus, uel dignitates lucratiuas, uel aliud aliquid tale, emere paruam extimantes, omnia perdiderunt. Quia enim nesciunt seminare, sed semper metere meditati sunt, et a messe continue excidunt. Nullus enim semper metere potest, sicut neque semper lucrari. Quia igitur nolunt expendere,

Commented [ND38]: [fol.106ra]

Commented [ND39]: [fol.106rb]

Commented [ND40]: uel suppositi add. super lin.

Commented [ND41]: non aliter add. super lin.

Commented [ND42]: id est add. super lin.

Commented [ND43]: [fol.106va]

neque lucrari sciunt, sed etsi mulierem oportuerit accipere, rursus hoc idem sustinent. Aut enim decepti sunt, inopem pro diuite accipientes, aut et diuitem introducentes, et decemmilibus plenam minorationibus, ampliorem rursus iacturam sustinuerunt. Non enim superhabundantia, sed uirtus, diuitias operatur. Quae enim utilitas est diuitiarum, cum consumptrix fuerit, et prodiga, et omnia uento uehementius proiciat. Quid autem si impudica, et decem mille amatores attrahat, quid autem si ebriosa? non omnibus pauperiorem uelociter uirum operabitur? Non nubunt autem solum, sed et emunt fallaciter, a multa concupiscentia non studiosos seruorum, sed eos qui leui precio emuntur circumscrutantes. Haec igitur uniuersa excogitantes, sermones enim de gehenna et regno nondum audire potestis, et iacturas intelligentes, quas sustinetis multotiens ad auaritia, et in mutuis, et in emptionibus, et in nuptibus, et in **preminentis**, et in aliis uniuersis, desiste pecunias concupiscere. Ita enim quia pecunias non concupiscetis, poteritis et presentem uitam cum stabilitate uiuere. Et parum superaddentes, et sermones de philosophia audire, et perspicentes in ipsum, iusticiae uidere solem, et promissis ab ipso bonis potiri. Quibus fiat omnes nos frui, gratia, et philanthropia id est amore hominum, domini nostri ihesu christi, cui gloria in secula seculorum amen.

Commented [ND44]: dignitatibus add. super lin.